



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **BEATOS CAELITES. ROSA A VITERBIO VIRGO CONFIRMATUR PATRONA FLORICULTORUM ET FLORISTARUM DIOECESIUM VITERBIENSIS, TUSCANENSIS, FALISCODUNENSIS, AQUIPENDIENSIS, BALNEOREGIENSIS** Ad perpetuam rei memoriam. – Beatos caelites a Christifidelibus coli et invocan, quin et dioecesium vel diversorum ordinum civium ceu Patronos cooptari, id profecto Ecclesia catholica vehementer adprobat: sunt enim Sancti non solum cari Deo, eiusque voluntatis sollertissimi custodes, sed etiam exempla egregia virtutum, quibus fideles insistant, et potentes summi Numinis administri, qui mortalium necessitatibus subvenire possint, a periculisque omnes genus eos prohibere. Qua re, cum Venerabilis Frater Aloisius Boccadoro, Episcopus Viterbiensis, Tuscanensis, Faliscodunensis, Aquipendiensis et Administrator Apostolicus Balneoregiensis, iam ab hac Apostolica Sede, suo suorumque tum cleri tum fidelium nomine petierit, ut electionem S. Rosae Virginis Viterbiensis tamquam Patronae caelestis floricultorum et floristarum suarum dioecesium a populo factam, a se rite probatam, confirmaremus, ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30; Nos, sive ad antiquam religionem respicientes qua eam Christifideles et prosecute sunt per aetates et prosequuntur, sive ad bona quae inde nasci praevidentur, sive ad intaminatam tantae Virginis gloriam, per regionem late manantem; cum constet omnia acta esse ad iuris praescripta, aequo animo admotis precibus concedimus. Qua re, iis probatis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino de re statuit, factis olim a Nobis potestatibus, placet S. Rosam a Viterbio Virginem caelestem Patronam apud Deum floricultorum et floristarum dioecesium Viterbiensis, Tuscanensis, Faliscodunensis, Aquipendiensis et Balneoregiensis esse et haberi, cum iuribus et privilegiis congruentibus iuxta rubricas. Quod sive Christifidelibus omnibus, sive illorum Pastori, Nobis dilectissimis, faustum, felix fortunatumque sit. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Februarii, anno MDCCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri quinti.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1983 - Libreria Editrice Vaticana